DISSERTATIO
SOLEMNIS MEDICA
EXHIBENS
BREVEM SYSTEMATICAM

MORBORUM
IN GRAVIDIS
EXPOSITIONEM;

QUAM
ILLUSTRIS MEDICORUM ORDINIS
AUCTORITATE ET CONSENSU
PRO
GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS
RITE IMPETRANDIS

Die Auguſt MDCCLXXXX.

PALAM DEFENDET
AUCTOR
FRANC. ADOLPHUS JACOBI
WARENDORPIO MONASTERIENSIS.

Bonnæ, typis Joan. Frid. Abshoven,
Univerſitatis Typographi.

Poſtquam gravida eſt femina, plurimis afficitur malis ex ſola graviditate oriundis.

BOERHAAV. aphor. 1293.

R35639

EVERENDISSIMO, ILLUSTRISSIMO

ATQUE

EXCELLENTISSIMO

DOMINO, DOMINO

RANCISCO FRIDE-
RICO WILHELMO

LIBERO BARONI

DE FURSTENBERG,

ECCLESIARUM CATHEDRALIUM
ONASTERIENSIS & PADERBORNENSIS
CANONICO CAPITULARI,

MINENTISSIMI ELECTORIS COLONI-
ENSIS, QUA PRINCIPIS MONASTE-
RIENSIS VICARIO IN SPIRITUA-
LIBUS GENERALI,

COLLEGII MEDICI PRÆSIDI &c. &c.

*SUMMO SCIENTIARUM PRO-
MOTORI*

N ÆTERNUM OBSERVANTIÆ, VERÆQUE
PIETATIS MONUMENTUM

AC

CETERIS COLLEGII MEDICI MONASTERIENSIS MEMBRIS CLARISSIMIS, SUMME HONORANDIS

HASCE LABORIS SUI PRIMITIAS

CONSECRAT

AUTHOR

§. I.

Quum morbus conditionem corporis ponat, a ſtatu ſano deflectentem; patet varias in graviditate adfectiones incommodas, prout ſanitatem læſam denotant, morbis deberi. Symptomata eas dicerem, ſi in gravidis ex præſente morbo ita naſcerentur, ut tamen ab hoc ipſo hujusque cauſa diſtingui poſſent, nec longe ultra morbum durarent (*a*). Quoniam vero hic de morbis tantum, prout a graviditate ſeu fœtu, qui in matre vivit, creſcit & ab ea tandem ſolvitur, ſermo eſt: facile perſpicitur, eas denominationem Symptomatum non mereri.

(*a*) Gaubii Inſtitut. Pathol. medic. pag. 36. §. 86.

§. II.

Certum pariter eſt, multas cauſas in gravida obvenire, effectus fere eosdem, ac ſi a graviditate ipſa provenirent, reddentes. Quare graviditas ut cauſa ſemper ante oculos noſtros verſetur oportet, & hoc quidem eo magis, ne iidem affectus cum variis cauſis confundantur, & de illis ad has illegitima formentur ratiocinia. Nonne enim contra finem, materiam pertractandi peccarem, ſi de cephalalgia, anxietate, vomitu, nauſea, quæ in graviditate a thoracibus ſeu illo damnoſo veſtitus genere, quo feminæ pulchritudini magis ſervientes, pectus abdomenque magnopere coarctant, oriri poſſunt, hic in medium promerem? ſilentio præteriens alias cauſas, quæ haud abſimiles morbos in prægnantibus procreare valent.

§. III.

Cum itaque iis ſolummodo gravidarum morbis immoremur, qui a graviditate ortum trahunt: innoteſcit, varios eſſe affectus pro diverſis, quæ inde in matre læduntur, partibus. Merentur

tur ordine quodam diſponi, quo ſua cuique appareat cauſa & indoles. Primum proin reſpicere liceat matris fluida, quæ a graviditate ſi vitiantur, alias atque alias denuo mutationes, moxasque producere valent, deinde ejus ſolida.

ARTICULUS I.

Fluida matris vitiata.

§. IV.

Quanquam ſtricte dicendo nauſea & vomitus, quæ teſtante La Motte in ipſo coitu & primis poſt conceptionem diebus *b)* prægnantes ſubeunt, non ad morbos a graviditate oriundos referri merentur, & ut proxima conceptionis potius ſequela ſunt habenda: tamen in cauſas eorum hic inquirere liceat; dum creſcente graviditate iidem affectus diverſas agnoſcunt cauſas. Varie viri & quidem celeberr.

b) Van Swieten Comm. in aphor. Bœrhaavii de cognoscend & curand. morb. Tom 4. p. 467. — Mauriceau Traité des maladies des femmes groſſes. Tom. 1. in 4. pag. 129. Paris 1721.

leberr. hanc adfectionem incommodam feminis plerumque tenerioribus obviam exponere ſtuduerunt. Sufficiat nonnullos tantum hic proferre.

§. V.

Rodericus a Castro c), & Maubray d), vomitum atque nauſeam primis poſt conceptionem diebus a vaporibus ſanguinis retenti eruerunt, qui tunicas ventriculi occupantes primum appetitum deſtruerent, tandem ad ventriculi cavitatem delati nauſeam vomitumque cierent. Junker e) a voracitate nimia & vitiis diætæ. Ettmüller f) a vi auræ genitalis motuque humorum fermentativo refluentibus menſtruis. Clar. Bœrhaave g) cau-

c) De univerſa muliebr. medic. Hamburg. 1628. P. 2. p. 415.

d) The female phyſician. Lond. 1728. p. 79. 8.

e) Conſp. med. Tab. CXII. de affect. gravid. p. 703.

f) De morb. mulier. Sect. VI. Cap. IV. Artic. I.

g) Herm. Bœrhaave aphor. de cognosc. & curand. morbis. §. 1294.

cauſam in nimia ſanguinis copia a recentis menſtruis nata, quam fœtus nondum in ſui incrementum abſumere poſſet, ponere placuit; ſed facile cum celeb. VAN SWIETENIO intelligitur *h*) hoc tempore plethoram a retentis menſibus nondum adeſſe, imprimis cum nauſeam, vomituritionem & appetitum rerum inſolitarum ſtatim quando ceſſaverunt menſtrua in gravidis obſervamus.

§. V.

Neque illuſtr. HALLERI opinio *i*) hac ſuper re prætermittenda, qui cauſam in reſorpto ſemine maſculo ſubputrido & ſubalcalino poſuit, dicens: „ſicut ab ovi rancidi devorata „particula; ita a conceptione nauſea „& vomitus cietur". Sed haud video, qui fieri poſſit, ut antea ſanguini admiſcendus hic humor negotioque ſanguificationis permutandus una cum adſervata ſua indole ad ventriculum de-

h) Gerardi VAN SWIETEN Comm. in Bœrh. aphor. §. 1296. pag. 92.

i) Albert. v. HALLER primæ lin. phyſiol. p. 480. DCCCLXXX.

deferatur, & ructus devoratæ ovi rancidi particulæ ſimiles & vomitum ipſum creet. Mihi cum aliis viris iſti affectus ab irritatione & mutatione inde in nervis uteri & partium ei vicinarum facta oriri videntur.

§. VI.

Etenim quando uterus irritatur, hujus alii nervi ab intercoſtali & 8vo pare nati, aliis nervis ventriculi, inteſtinorum, œſophagi ac faucium eandem originem habentibus adſumtam impreſſionis mutationem impertiunt, quo eorum musculi quoque afficiantur oportet. Fiunt ſubinde motus ſpastici primum in utero & partibus ei proxime vicinis, deinde in inteſtinis ventriculo, œſophago, faucibus & tandem ore, qui mediantibus musculo diaphragmatico musculisque abdominalibus mirabili modo conſpirantibus quoad gradum ſpasmi fortiorem aut leviorem vomitum vel nauſeam cient. Hanc affectuum veram eſſe geneſin comprobat tremor labii inferioris in nauſea, quem ab conſtrictionem musculorum & compreſſionem glandularum earumque ductuum ſalivalium humor ex ore effluens excipit

teſta-

ſtatur quoque in vomitu violenta ex faſtidioſa eorum, quæ in cavo ventriculi continentur, aut ex vicinis viſceribus illuc congeruntur, per guttur ſuperius expulſio. Unde primum in ventriculum ingeſta motu antiperiſtaltico ejiciuntur, dein lympha, poſtea bilis flava, amara, & tandem viridis.

§. VII.

Medemur iis, adfectiones incommodæ magis, quam mala nominandis aq. cinam. ſ. v. Unc. IV. quibus Scrup. IV. extr. c. peruv. & totidem ſp. nitr. dulc. immixti ſunt, ſumendo de die horis matutinis, paulo ante prandium, & pomeridianis pro doſi Cochl. I. interdum ſolum ſufficiunt aliquot guttæ napht. nitri.

Dantur hac de re inumeræ aliæ receptorum formulæ, quæ cunctæ ex antiſpasmodicorum claſſe deſumtæ ſunt, inter quæ naphtha nitri primum ſane hoc caſu occupat locum. Sic ill. Exton *k*), Manning *l*), Mauriceau

k) A ſyſtem of Midw. Lond. 1753. p. 21.

l) Treatiſe of female diſeaſes. Lond. 1775. pag. 300.

RICEAU *m)*, VAN SWIETEN *n)* infuſiones ex flor. menth. meliſſ. chamom. vina oleoſa, meraca, celeb. ASTRUC *o)*, MURSINNA *p)*, STOLL * & alii ipecacuanham, potionem RIVERII nec non opiata inter efficaciſſima poſuerunt remedia.

§. VIII.

Crescente jam & uteri & fœtus mole adeo; ut tertio vel quarto plerumque geſtationis menſe uterus e pelvi aſſurgens contenta abdominis ex ſitu ſuo naturali removeat, & multifariam premat: morbi tunc gravidarum proprii in conſpectum veniunt. Fuit nonnullorum veterum *q)* ſicut &

m) Traité des malad. des femmes groſſes. Tom. I. p. 131.

n) Comm. in Herm. BŒRHAAVII aphor. §. 1300. p. 110.

o) Traité des maladies des femmes. à Paris 1761. 8.

p) Abhandlung von den Krankheiten der Schwangern Gebärenden und Wöchnerinnen. I. Band, pag. 87.

* Ejus prælect. in morb. chronic. Tom. II. pag. 385.

q) GALENUS de uteri diſſect. Cap. 8. Tom. IV. p. 280.

& recentiorum r) opinio, uterum veſicæ urinariæ adinſtar attenuari, quando diſtenditur & ea quidem ratione, qua ampliatur ejusdem cavitas, imminui craſſitiem; donec ill. LITTRE s) & aliis obtigit, veritatem hujus rei in cadavere mulieris, quæ octavo graviditatis menſe ex lapſu ſubito perierat, oſtendere, orbique litterario communicare, cujus uteri ſubſtantia octo circiter lineas craſſitudine adæquabat. Id quod ſatis denotat, magnam ſanguinis copiam retentis menſibus in ſubſtantiam uteri devehi, quæ ad nutriendum fœtum nimia eſt. Attamen ex eo minime ſequitur, omnem in gravidis abundantem ſanguinem ab utero ſtemi, cujus contrarium quoque primis geſtationis menſibus ex affectibus a plethora oriundis innoteſcit.

§. IX.

Pari ratione non dicendum, in quavis prægnante ſanguinem abundantem

r) MAURICEAU Traité des malad. des femmes groſſes. Tom. 1. pag. 20.

s) Acad. des ſciences 1701. Mem. p. 385.

dantem obvenire, cum contrarium experientia conſtat & obſervatione; ſed in illis primario, quæ alias tempore catameniorum largiter menſtruatæ ſunt, habitu corporis obeſo gaudent, & diætam, dum utero gerunt, lautam ſervant. Illis obtinet magna morborum cohors, qui tanto pernicioſiores ſunt, quanto major eſt uteri moles & preſſio in abdominis contenta.

§. X.

Peccant fluida vel quantitate vel qualitate, quæ communis veterum doctrina in graviditate quoque valet. Familiares verſus 3tium graviditatis menſem adfectiones incommodæ ſunt laſſitudo corporis, cephalalgia, vertigo, dolores dentium, appetitus proſtratus &c. pariter nauſea & vomitus quæ omnia tunc temporis ex plethora uteri topica menſibus retentis maxime ſunt deducenda.

§. XI.

Sanguinis enim; qua data causa occaſionali verſus ventriculum ita quidem congeri videtur, ut nervi in l

teri-

ceribus ventriculi ubique diſperſi ab eodem inæqualiter premantur, muſculorum ſubinde ventriculi actio, quæ a vi nervea primario dependet, inæqualis fiat, & motu demum antiperistaltico vomitus cieatur. Sunt, qui vomitum a diſtenſione uteri, qua ejusdem nervi extenduntur, & nervi ventriculi in conſenſum trahuntur, declarant; verum inde ſequi videtur, eundem poſt 3tium quartumve geſtationis menſem obvenire, & quatenus uteri magnitudo crescat, eatenus adaugeri. Perinde quoque ſit, qui fiat, certum eſt, a plethora hoc caſu vomitum ut & dictos alios affectus maxime oriri.

§. XII.

Neque diſſentiunt in eo ill. Boerhaavius, la Motte, Manning *t*), Smellie *u*), Stoll *v*) ac reliqui, quamvis nonnulli cel. van Swieten, Murſin-

t) Treatiſe of female diſeaſes. London 1775. pag. 299.

u) Treatiſe of Midw. p. 142.

v) Prælect. in morb. chronic. Tom. II. p. 385. 86.

SINNA *w*) aliique diverſæ ſint opinionis. Sequentia vero argumenta a prioribus prolata veritatem confirmare videntur.

1) Virgines nec non feminas haud gravidas retentis menſibus mutata ſubinde ſanguinis circulatione inſtar gravidarum vomuiſſe obſervarunt cl. BOERHAAVIUS & Frid. HOFFMANNUS ejus medic. conſult. T. XI. p. 363.

2) Raro hic vomitus ſuper 3 aut 4. geſtationis menſem ſeſe extendit, quo crescente fœtu & majori ſanguinis copia ab utero demta utpote cauſa ceſſat quoque effectus.

3) Innumera proſtant exempla ſenſibilium evacuationum prægnantibus innocuarum, quæ de plethora ſatis teſtantur.

4) Modicam v. ſ. quocunque geſtationis menſe noxam quandam intuliſſe non legimus.

5) Experientia conſtat, ſecta vena vomitum deſiiſſe.

---

w) Abhandlung von den Krankheiten der Schwangern Gebär. und Wöchnerinnen 1. Band, p. 25.

§. XIII.

Ex quo apparet, venæ ſectionem efficaciſſimum hoc caſu eſſe remedium. Teſtantur quoque ill. viri MAURICAU *x*), WILLIS *y*), ASTRUC *z*), Herm. BŒRHAAVE *a*), SMELLIE *b*), EXTON *c*), MANNINGHAM *d*), LEVRET *e*) & alii, qui fere omnes brachio venam ſecare jubent, timentes, ne venæ ſectione in pede inſtituta menſes moveantur, abortumque feminæ patiantur.

§. XIV.

Quem ad modum *laſſitudo* a quacunque demum preſſione in nervos &

---

x) Libr. citat. T. I. p. 132. & T. II. obſ. 24. 99.

y) Pharm. ration. Sect. II. C. 3.

z) Libr. citat. Tom. V. pag. 267.

a) Aphor. de cognosc. & curand. morb. p. c.

b) Treatiſe of the Theorie and practice of Midw. edit. II. Lond. 1725. p. 143.

c) A ſyſtem of Midw. Lond. 1753. p. 21.

d) Aphor. medic. Lond. 1756. pag. 73.

e) L'art d'accouchement. Paris 1761. §. 1122.

& inde imminuta muſculorum vi oritur: ita in prægnantibus cephalalgia a preſſione præcipue ſanguinis fit, quando ad caput congeſtus vaſa admodum diſtendendo tam nervos in parietibus vaſorum ubique diſperſos, quam ad eorum latera adjacentes premit, & diſtrahit; ita quidem ut rupturam minitentur.

§. XV.

Vertigo inde naſcitur, dum ſanguis intenſiore impetu in arteriam ophthalmicam, quæ circa nervum opticum quosdam gyros flectionesque facit *f*) urgetur, ac nervum hunc ſucceſſive & in diverſis punctis peripheriæ adeo quidem premit, ut ejusdem impreſſiones haud debito ordine ad animam deferantur, ipſaque objecti imago in anima confuſe repreſentetur.

§. XVI.

Oriuntur dolores dentium a plethora, quando ſanguis verſus caput con-

f) ill. Zinnii deſcriptio oculi humani a cl. Wrisbergio denuo edita atque emendata. Gœttingæ. — v. Halleri prim. lin. phyſiol. DXXIV. pag. 294.

congeſtus ad dentes imprimis accumulatur, & diſtenſione, & preſſione nervorum, qui una cum vaſis ſanguiferis minimas in radice dentium caveas intrant, ſenſationem animæ ingratam impertit, quam dolorem nominamus. Impetus ſanguinis in ejusmodi nervos tanto magis fieri poteſt, quanto minus illi ob anguſtas dentium cavitates cedere poſſint preſſioni.

§. XVII.

Animi deliquia in prægnantibus ſæpius obveniunt, & multiplicem agnoscunt cauſam. Oriuntur quandoque poſt nauſeam validiorem, dum in hyſtericis feminis ſpasmi ſanguinem ad cor nimium urgent, quo ſanguine cum in thalamis tum vaſis coronariis collecto (premendo cordis nervos) temporaria inducatur atonia. & motu cordis inde ſuppreſſo arteriarum ictus & tranſitus per pulmones deficiant, pariter a ſanguine tranſitum per cor non inveniente in capite collecto, & ſenſorium commune premendo, vires in corpore labefactentur, omniumque ſenſuum imminutio fiat. Haud abſimili modo a plethora in gravidis oriuntur,

untur, quando nimia ſanguinis copia in vaſis contenta ſanguini ex corde in hæc propulſo reſiſtit, & cor ſanguine obruitur, eo magis, quo major uteri preſſio in vaſa venoſa æque ac arterioſa una locum habet. Interdum animo delinquunt gravidæ imprimis irritabiles a motu fœtus in utero validiori *. Omnium denique peſſimum eſt animi deliquium, quod poſt evacuationes nimias in graviditate fit. Vaſis enim a deficiente ſanguine collapſis, minor ejusdem, quam par eſt, quantitas ad cor, & ad caput per arterias carotides atque vertebrales propellitur, minor ſubinde fluidi nervei fit ſecretio, hujusque influxus in cor, pulmones, aliasque partes: unde horum organorum actio imminuitur, pulſus, reſpiratio, & vires labefactantur, omnes denique ſenſus aboliuntur, quod deliquium animi nominamus.

§. XVIII.

Ex quibus patet, pro ſua cuique cauſa diverſa aliam, atque aliam eſſe in

* Gerardi VAN SWIETEN Comment. in Bœrhaave ophorism. de cognoſc. & curand. morb. Tom. VIII. §. 1296. pag. 96.

in deliquiis animi medendi rationem, quibus hic ſingulatim uberius in medium promendis ſane non ſufficerent paginæ. Videmus inde modo antihyſterica, modo venæ ſectionem, modo analeptica, leniterque nutrientia eſſe propinanda, & ſi a preſſione uteri in vaſa ſanguinem vehentia nascerentur animi deliquia; hæc ſolum mutando uteri ſitum decumbendo vel alio quovis modo eſſe ſananda.

§. XIX.

Neque minus in gravidis appetitus proſtratus a congeſtione ſanguinis provenit. Diſtenſione enim a nimia ſanguinis copia vaſorum ſanguiferorum latera ventriculi perreptantium adjacentes nervi plus juſto comprimuntur, motusque fluidi nervei ad animam quodam modo impeditur; ita quidem ut ſtimulatis ad ſamem excitandam fibris ventriculi muscularibus nervi ſenſationem animæ communicare nequeant.

§. XX.

Nonnunquam gravidæ & anxietatem & dyſpnœam ſubeunt, quæ du-

plicem agnoscunt cauſam, quarum alia in plethoricis a preſſione uteri in vaſa ſanguinem ad inferiora corporis vehentia, alia ab urgente utero mediantibus inteſtinis in ventriculum & diaphragma verſus finem graviditatis præcipue obtinet. Utroque caſu ſanguinis quantitas vel pulmones plus juſto adimplet vel ſanguini, quominus hoc viscus ſubire poſſit, præpedimentum objicitur. Quare aer pulmones ingreſſus ut veſiculas aereas tantum ægre explicet, neceſſe eſt. Malum hoc longe peſſimum evadit, quando nimia ſanguinis copia intercoſtales quoque & cæteros reſpirationi inſervientes musculos replet, eosque (premendo nervos) debiles reddit, quo thorax ſubinde præter naturam ampliatur, pulmones non ad ſubſtantiam expanduntur, liberque tranſitus ſanguini per pulmones non ad quantitatem conceditur. Videmus, plethoram hoc caſu eſſe imminuendam, diætamque alias tenuem ſervandam; quando vero in fine graviditatis a preſſione uteri in diaphragma oritur anxietas, nullam hunc affectum admittere medelam, quieta modo maneat ægra.

§. XXI.

§. XXI.

Quum de variis noxis, prout in graviditate a nimia ſanguinis quantitate oriuntur, hic ſermo ſit: Sequens jure recenſeri meretur ill. TIMANNI rariſſima obſervatio cujusdam feminæ, quæ in 5 graviditatibus 5 phalanges digitorum amiſit; ita quidem, ut ſingulis vicibus absque cauſa notabili quadam prægreſſa poſt 3tiam vel 4tam graviditatis hebdomadam graviori phalangis digiti corriperetur inflammatione, quam mox ſphacelus excipiebat oſſisque corruptio, & poſtquam phalanx mortua deciderat, ſpatio 24 horarum ſanabatur. Quæ ſingularis hujus eventus cauſa ſane congeſtio ſanguinis fuit ad partes extremas digitorum debiliores factas, ubi medicus amiſſionem phalangium præpedire potuiſſet, ſi feminæ huic plethoricæ ejusmodi congeſtiones ſanguinis miſſione tollendas, partesque debiles roborandas ſuaſiſſet. Fit hæc congeſtio verſus caput teſtante ill. BEIREISIO ſæpe adeo magna, ut dentes molares ultimos, quos vocant ſapientes, in junioribus feminis gravidis aliquoties enatos eſſe teſtetur.

§. XXII.

§. XXII.

Nonnullos affectus, quos Viennæ de plethora gravidarum obſervare mihi contigit, in medium liceat proferre, teſtantes ſimul de venæ ſectionis præſtantia atque effectu. Femina 28 annos nata corporis habitu valde obeſo ex Bohemia menſe martio 1790 in domo parturientium Vindobonenſi fuit ſuſcepta, bona ſemper gaviſa valetudine; verum ultimis geſtationis menſibus de cephalalgia, pectoris oppreſſione, & anxietate interdum conqueſta, quæ ſponte finita aſthma excipiebat ſpasmodicum, ea conjunctum vocis ſuppreſſione, ut nec ullum verbum diſtinctum proferre, inanique ad expectorandum conatu animam ſaltem ægre ducere potuerit. Opinione ducta, morbum hujus miſeræ a catharrho factum eſſe, demulcentia, leniterque ſolventia propinabantur, ſed fruſtraneo cum eventu. Neque ſigna hydropis pectoris adfuerant pathognomonica; alias ne quid incongrui fuiſſet, affectum illum pro eo habere, quem, certum eſt, lubenter conjungi cum graviditate. Conſultum igitur fuit, venam miſeræ ſecare,

care, & bina veſicatoria intra ſcapulas apponere, qua ſanguinis miſſione Unc. octo appoſitisque veſicatoriis ſtatim ægra reconvaluit; ita quidem ut repetita v. ſ. Unc. 8. adhibitisque ſubinde medic. amaris ſanitatem penitus recuperaverit gravida.

§. XXIII.

Altera, ubi plethoram imminuit natùra, ſequens eſt obſervatio. Neatrix habitu corporis ſumme laxo menſe auguſto 1789 ex ſuburbio Viennenſi, cui a LEOPOLDO nomen eſt, domum parturientium ingreſſa filium peperit, qui dum manus ejus dextera cum parte brachii ex uteri vagina eminebat, facta verſione manu ad pedes adplicata ab aſſiſtente D. SMIDIO extractus eſt. Nec ullius ea graviditatis tempore memor affectus; verum quatuor circiter hebdomadas ante partum febrem bilioſam inflammatoriam (bene ſanatam) ſe eſſe paſſam & ſymptomata ab ea narrata & receptorum formulæ, quas ſecum habebat, teſtabantur. Quo præmiſſo notandum, eam aliquibus ante partum diebus correptum fuiſſe vertigine ſæpius

de

de die recurrente, ſuſurru & aurium tinnitu, anxietate ſumma & corporis laſſitudine. Vehemens denique inſtabat tuſſis cum vomitu conjuncta; & partum, quem magna excipiebat uteri haemorrhagia, alias feliciter abſolvit, deletis ſtatim omnibus ſupra dictis affectibus.

§. XXIV.

Tertia obſervatio minime quidem nova; verum non frequentiſſima. Uxor fabri lignarii nomine Weydilt ſuburbium Viennenſe (die Joſephſtadt) inhabitans, femina 25 & quod excurrit annorum, habitu corporis adſtricto gaudens, hæmorrhoidibus & prolapſu vaginæ ultimo abhinc graviditatis tempore laborans, obſtetricem menſe aprili 1790 adiit, opem inconſueti graviditatis ſuæ ſtatus imploratura. Fuit, quo illam videndi mihi ipſimet data fuerat occaſio, quarto graviditatis menſe gravida, confeſſa, ſe ſemper largiter menſtruatam fuiſſe; ſed neſcia, quod a primis poſt conceptionem diebus fere omni 14 die, quo alias fluxiſſent menſtrua, urinam jam mitterer valde rubentem cruentam minime pellucidam, quæ quiescendo multum

tum ut inquiebat, pulv. atrorubri deponeret (pari modo ſedimentum grumoſum ex rubro nigricantem in urina ab ea adſervata vidi, quod, quamdiu ego quoque vitrum urina repletum conquaſſaverim, penitus inſolubile mihi viſum eſt). Dixit jam illa ulterius, hancce ſanguinis per urinam miſſionem duos ſemper dies continuare, qua finita proſperiori gauderet valetudine; cum e contra aliquibus ante hanc excretionem diebus de cephalalgia, corporis inquietudine, appetitu proſtrato, alvoque imprimis obſtructa admodum vexaretur. Attamen pertimescens, hanc excretionem minus naturalem poſtea alia mala contrahere poſſe, vena ei ſecabatur, qua miſſione Unc. 8. ſanguinis bene valebat. Sed an ſubſequente decimo quarto die denuo experta ſit ſuam per urinam menſtruationem, me abſente neſcio.

§. XXV.

Perniciofiſſimus effectus quantitatis nimiæ ſanguinis in graviditate eſt abortus, ſeu fœtus immaturi ante debitum geſtationis tempus ex utero exclu-

cluſio, plerumque tunc naſcens, quo alias menſtrua fluxere. Dum enim ſanguis in magna copia ad uterum propellitur, nec a placenta recipitur, mutatur, & in alimentum fœtus vertitur, vaſa innumera in ſe convoluta ubique & undique uterum perreptantia, ob defectum magna ex parte fibrarum muscularium, pinguedinis, valvularumque, ſanguini impulſo minus reſiſtentia replentur, diſtenduntur, dilatantur, atque orificia eorum in ſinubus placentæ obvia plus juſto aperiuntur, quin vaſa ipſa disrumpendo a placenta recedunt. Unde dolores dorſi, reſrigerationes partium extremarum cum horrore, pondus circa infimi ventris regionem, dolores ab oſſe ſacro ad pudenda deſcendentes, demum hæmorrhagia uterina, quam plerumque, ſoluta ab utero ſecundina excipit mammarum extenuatio. Videmus, quam pulchre hæc quadrant Hippocratis * verba: „Si mulieri „uterum ferenti mammæ ſubito extenuentur, abortit". Mammæ enim in loco libero ſitæ pinguedine & cute facile dilatabili præditæ tempore gravidi-

* Hippocr. aphor. 37. Sectio V.

widitatis nec non menſibus inſtantibus ob ſanguinis commotionem & redundantiam a plethora turgent, & dolent. Dum autem vaſa uterina evacuantur, mammæ, quarum nexus cum utero ſatis eſt manifeſtus, ob distenſionem imminutam quoque detumescunt, gracilescunt, & ſic quatenus hac evacuatione fœtui nutrimentum aufertur eatenus extenuatio mammarum abortum præſagit.

§. XXVI.

Cauſæ præter dictam plethoram, abortum promoventes, innumeræ aliæ ſatis notæ ſunt, & generatim vel ex matre vel fœtu proveniunt. Sicut enim a majori: ita in matre a minori quoque ſanguinis copia poſſunt oriri abortus, quando gravida jam ante conceptum tenella extitit, vel evacuationes magnæ ſunt prægreſſæ, quibus fœtus deſtituitur alimento E. g. poſt menſtrua nimium fluentia *h)* poſt aſſumptum purgans *i)* dyſenteriam, vomi-

h) Mauriceau obſ. 136. 196. 207. 220.

i) Ibid. obſerv. 9.

vomitum *k*) hæmorrhoides largiter fluentes *l*). Neque minus a qualitate ſanguinis vitiata, prout nimis viſcidus, aut reſolutus, aut miasmate quodam infectus ad fœtum devehitur, abortum fieri, experientia conſtat. Plurima enim exempla adſunt, ubi fœtus in lucem editus iisdem morbis lue venerea, variolis &c. correptus fuit, quibus mater affligebatur. Sic fœtus laborare in utero morbis ſatis gravibus jam HIPPOCRATES *m*) docuit.

§. XXVII.

Pari ratione partes matris ſolidæ abortum promovere valent, dum nimis rigidæ ſunt; ita ut crescente fœtus mole non eo, quo decet, modo diſtendatur uterus *n*) aut nimium laxæ,

k) MAURICEAU obſerv. 24.

l) LOSSIUS Lib. 3. obſ. 25.

m) HIPP. Lib. de partu ſeptimeſtri & de genitura.

n) HIPPOCR. Lib. I. de morb. mulier. „quin & ipſi uteri ita ſunt a natura comparati, ut abortionem faciant, ſi flatulenti, denſi, magni, parvi, aliisque ſimilibus affectionibus laborarint“.

:xæ, quo nexus placentæ & fœtus cum utero ſolvitur *o)*. Fœtus tandem ipſe procreare poteſt abortum, cum juſto grandior ſit, aut numeroſior, hydrope tumens, motu violento moleſtus, male ſitus, morbo inquietus aut languens, mortuus, ejusve placenta marcore, obſtructione, degeneratione in hydatides affecta *p)*.

§. XXVIII.

Plura adhuc alia eſſent referenda, ex quibus cauſis externis abortus contingere poſſet, quamvis ſtricte dicendo ea huc non pertineant. Sunt ſpirituoſorum, calidorumque abuſus (unde in Hollandia abortus quoque frequentiores, poſtquam Bontekoe *q)* theæ

o) Item Hipp. verba: „quæ vero medio„criter corpus habentes abortiunt bi„meſtres, & trimeſtres ſine manifeſta „cauſa, his acetabula uteri muco plena „ſunt, & non poſſunt continere fœtum „præ graviditate, ſed abrumpuntur“.

p) Cl. Gaubii inſtit. pathol. medic. §. 829. pag. 458.

q) Cornelis Bontekoe Tractat. van het excellenste Kruyd Thee &c. In s'Grauenhage 1685.

theæ potum magna in copia ſumendum induxit) remedia ſanguinem valde commoventia, animi pathemata, terror, ira, mæror, gaudium immoderatum, ſpasmi corporis vehementiores, motus corporis nimii, ceteraque alia, inter quæ demum ipſe corporis cultus primum ſane occupat locum. Quas multifarias noxas e folis thoracibus in feminas redundare, dum utero gerunt, egregie dilucidavit celeb. SOMMERING *r*), item de moribus & veſtimentorum luxu illuſtres viri ROUGEMONT *s*), GRUNER *t*), FRANCK *u*) aliique.

§. XXIX.

Quo facile etiam perſpicitur, cur in aliis regionibus v. g. mulieres gentium,

r) Ueber die Schädlichkeit der Schnürbrüſte. 2 Preisſchriften u. ſ. w. Leipz. 1788.

s) Etwas über Kleidertracht, in wie fern ſie einen nachtheiligen Einfluß auf die Geſundheit hat.

t) Diſſert. de cauſis ſterilit. in ſexu ſequiori ex doctrina Hippocratis veterumque medicorum.

u) 1ter Band, pag. 481. Nothwendigkeit der Leibesübung für künftige Mütter.

tium, quæ ſunt Islandi, Guianenſes Americani, & Americæ ſeptentrionalis incolæ raro cum abortus tum alios morbos experiuntur; ſed florida plerumque ſenectute mortis falce percuſſæ cadunt *w)*, utpote quæ gentes a pueritia dure & quaſi neglecte educantur, cœli temperie frigida ac ſana fruuntur, & quibus per totam vitam cibi potusque conformitas, demum laxior veſtimentorum habitus eſt. Multum a propoſito aberrarem, ſi plura hac de re in medium promerem.

§. XXX.

Ad medendi rationem, quod attinet, conſiſtit omne, quod in abortionis negotio ſperari ac promitti poteſt, auxilium in eo duntaxat, ut medicus præcaveat futurum, & imminentem, vel jam præſentem curet: primum indicatum impetrare licet, ſi ope remediorum ex diætetico, pharmaceutico, & chirurgico ſonte petitorum, eas cau-

w) Anderſon Nachrichten von Jsland, Grönland. Hamburg 1746. 8. – Raphael Steidele Verhaltungsregeln für Schwang. Gebärende, und Kindbetterinnen. Wien 1787.

cauſas, quæ pravam abortiendi diſpoſitionem utero inducere poſſunt, omni cura ſtudioque amovere nitatur. Imminente abortu, venæ ſectio eſt inſtituenda, ſi plethora culpet malum, viresque matris conſtent, adhibendo ſimul medicamina præternaturali ſanguinis profluvio ſiſtendo congrua; e contra cum ſanguinis defectus in cauſa ſit, leniter nutrientia atque analeptica matri ſunt propinanda. Præſente demum abortu conſultiſſimum eſt, fœtum manuali operatione protinus expellere, quo facto ægra in quiete ſe teneat, nutrientibus utatur, nec vitium in vitæ regimine committat.

§. XXXI.

Qualem noxam ſubeat prægnans, in quod ſemetipſam præcipitet malum, denegans, ſe eſſe gravidam, ſequens morbi hiſtoria, cujus formulas medicas a chirurgo quodam præſcriptas adſervo, docere poteſt. Filia ſutoris 18 annos nata habitus corporis laxiſſimi, ante 6 annos vomitum cruentum paſſa, ſanata vero, prægnans fit. Vix duobus in graviditate menſibus protractis vomitum ea experiebatur matuti-

utinum omni die eodem fere tempo-re redeuntem, quem pauxillum nigri-cantis tandem excipiebat ſanguinis congrumati. Parentes de vomitu ma-xime inquieti, neſcii quidem, gravi-dam eſſe ejus filiam, accerſebant chi-rurgum, qui poſtquam ei prægnans denegaverat, ſe eſſe gravidam, ene-ma præſcribebat emolliens, nec non ventriculum forſan roborandi ſcopo elect. ex radice gent. r. cum 6ta par-te pulv. c. cinamom. & q. s. ox. ſimpl. verum neque enema bis reiteratum neque hujus electuarii uſus quid boni potuerunt præſtare. Opinione ita-que ducta, puellam forſan ex vermi-bus laborare, decoctum muſc. corall. lb. 1. in lacte coctum, & pill. aloeticas propinavit chirurgus, qua data prima decocti doſe ad Unc. 11. ſtatim terri-bilis ſanguinis nigri & congrumati co-pia e faucibus gravidæ erumpebat, ſe-re duas libras adæquans. Chirurgus jam ad eam vocatus, perſuaſum ſibi habebat, ne in nimia quidem doſi da-tum eſſe remedium; ſed filiam ſutoris eſſe plethoricam perhibebat. Medi-camenta itaque continuanda juſſit, dieque ſubſequente pillulas aloeticas pro doſi 15 ſumendas, quo de vomitu

recur-

recurrente haud cruento, bilioſo tamen, anxietate ſumma, corporis inquietudine, alvo nimis mota, nec non doloribus dorſi excruciabatur gravida, ut parentibus tandem de ea admodum ſollicitis ſuum conſiteretur peccatum. Dolores lumborum & dorſi exacerbabantur magis, horrores ac refrigerationes partium extremarum inſtabant, quin ipſa ſubito veſperi ſubſequebatur uteri hæmorrhagia, potiusve abortus; ita quidem ut accerſita ſtatim obſtetrix bene erudita parturientem invenerit ſumma cum virium proſtratione, facie pallida, extremitatibus ſubfrigidis, ſtatuque valde miſero. Soluta demum penitus ab utero ſecundina, deſumtisque ex vagina fruſtulis cruentis omne deſiit ſanguinis profluvium, & 3tio die lectum, quamvis valde debilis, ægra reliquit.

§. XXXII.

Sunt feminæ, quæ eo tempore, quo utero gerunt, ſæpiſſime convulſionibus laborant; e contra aliæ, & quidem hyſtericæ, quæ nunquam niſi verſus medium graviditatis ſaniores ſunt. Quæ hujus eventus cauſa?

Vi-

Videntur effectus adeo inter ſe discrepantes ſoli plethoræ adauctæ vel imminutæ deberi. Etenim gravidas convulſionibus laborantes plerumque plethoricas & largiter eo tempore, quo non gravidæ ſint, menſtruatas eſſe, experientia confirmat & obſervatio. Quodſi graviditate incipiente ſanguinem non per nutritionem fœtus amittant, hic ad caput congestus ut cerebrum & nervos comprimendo inæqualem liquidi nervei influxum, adeoque actionem musculorum inæqualem ſeu convulſivam inducat neceſſe eſt. In hyſtericis vero feminis, quæ ex plethora maxime malum ſuum ſubeunt, ſanguis ſuperfluus verſus medium graviditatis ad fœtum nutriendum deducitur, quo nervos a preſſione ſanguinis magis liberos, adeoque nullos ſpasticos motus & hyſtericam paſſionem obtinere certum eſt.

§. XXXIII.

Legimus, quæ mala, dum ſanguis in majori quantitate peccat, oriri poſſint. Pari ratione alia ſubnascuntur, quando in prægnantibus minor ſanguinis quantitas adeſt, aut ſi ma-

jor ſanguinis copia ad fœtum nutriendum conſumitur, quam qua mater ad corpus ſuum ſuſtentandum carere poteſt: abortus, & integra matris contabeſcentia. Neque minus a graviditate qualitas ſanguinis in matre vitiari poteſt, quando vaſa per plethoram diſtenta partem virium ſuarum amittunt, per quas in fluida contenta agunt, aut premente utero in abdominis contenta imprimis, dum mater ſimul quieti admodum indulget, circulus humorum ſolis commiſſus vitæ viribus, extraneisque deſtitutus ſuppetiis per vaſcula minima & univerſum ſyſtema languescit. Unde humores minus compinguntur & condenſantur, cachexia demum ac fluor albus locum habent.

§. XXXIV.

Non huc qualitatem ſanguinis vitiatam, prout reſolutus, vel miasmate quodam infectus eſt, referre ſtatuimus, cujus cauſæ graviditati nequaquam debentur, neque qualitatem ſanguinis in quibusdam corporis partibus ſtagnando in vitium degenerantis, de qua poſtea. Quanquam verum ſit,

cete-

cetera fluida in matre peccantia ut lympha, bilis, urina &c. hoc loco una eſſe pertractanda: tamen ea in §phos de ſolidis in matre peccantibus differre liceat, eo conſilio, ut morbi indoles una cum cauſa appareat.

ARTICULUS II.

Solida matris vitiata.

§. XXXV.

Quem ad modum in prioribus nauſea & vomitus primum occuparunt locum: ita, quando diu durant, noxæ inde in ſolidis provenientes, ſecundo loco in conſiderationem veniunt. Cum enim musculi ventriculi non ſolum vehementer convelluntur; verum diaphragma quoque & musculi abdominales moventur: patet, ob hunc ſæpius iteratum motum fibras musculares ventriculi ut chordas, quæ mox huc mox illuc flectuntur, ad modum debilitari; quo ſubinde liquidiſſima digeſtioni & nutritioni inſervientia ejiciuntur, plicæ tunicæ rugoſæ abolentur, tonus ſtomachi debilitatur, atque alimentorum appetitus & concoctio de-

depravatur. Unde ructus nidoroſi, os amareſcens, lingua ſordida, quæ omnia a graviditate, quamvis remote, oriuntur. Pariter abdominis quoque cavitas valde coarctatur, viſceraque in ea contenta comprimuntur, ac ſanguis ex vaſis majoribus in minora premitur. Hinc excretiones, eæque interdum tam vehementes, ut haud raro ſub illis vaſa rumpantur, diraque mala excitentur.

§. XXXVI.

Notum eſt, ex ipſius fœtus ſitu & placentæ multifariam inſitione in utero morbos fieri, quando v. g. ultimo geſtationis tempore deorſum nitens fœtus caput, repleta tota pelvi, veſicam maxime adficit, aut fecundina ori uterino inſidet, vel uni alterive lateri eſt infixa *x*). Unde tam in fine, quam in initio graviditatis dyſuria, iſchuria *y*) alvique interdum obſtructio,

x) Des berühmten Richters chirurg. Bibl. 4. B. 2. Stück. p. 227.

y) Smellie Hebammenkunſt. pag. 150. 151. — Abhandl. der königl Akad. der Chirurg. in Paris. T. 1. p. 388. — Ruyschii Obſerv. 98.

tio, variæ uteri obliquitatum ſpecies, quarum retroflectio 3tio aut quarto præcipue geſtationis menſe omnium eſt peſſima.

§. XXXVII.

Rectum enim inteſtinum a retroflexo utero adeo comprimitur, ut non ſolum vaſis hæmorrhoidalibus externis; verum internis quoque omnis ſanguinis denegetur refluxus, quo ſanguine ſubinde collecto in vaſis ſtagnante inflammationem, gangrænam, nec non hæmorrhoides gigni, quis eſt, qui neſciat. Alia huic jam accedit cauſa nimirum alvus obſtructa, ab eadem preſſione nata, qua durante diu non putridas tantum partes excrementitias ad maſſam ſanguineam deferri, flatus, borborygmos, ac ventris dolores oriri; verum & inteſtinum rectum ab excrementis induratis intusſusceptione, tenesmo, ſummaque affici debilitate pertimeſcendum erit.

§. XXXVIII.

Quanquam huic morboſæ corporis conditioni permanente graviditate non radicaliter medeamur: tamen ſymp-

ſymptomata, quæ eandem concomitari ſolent, aliquo modo præcaveantur, inteſtina lubricando, fœcesque emolliendo atque educendo. Utatur ergo gravida jusculis juniorum animalium, oleribus humectantibus, prunis, pomis coctis &c. alvi laxitatem ſi diæta procreare ſibi nequeat, admittat clyſterem emollientem ac laxantia medicamenta. Cavendum vero a ſtimulantibus, ne alvo nimis mota peſſima oboriatur diarrhæa. Inteſtinorum inflammatio malum eo gravius eſt, ſi una accedat tenesmus, quem hæmorrhagia uterina excipiat, quo in caſu venæ ſectio, antiphlogiſtica, opiata tam interna, quam clyſteribus emollientibus admixta, nec non regimen in lecto quietum & diætam exquiſitam ſuademus.

§. XXXIX.

Neque minus urgente utero in veſicam urinariam magna inde matri adferuntur ſata, dyſuria, ſtranguria, iſchuria z), & a nimia diſtenſione veſicæ urinariæ urina repletæ magna ejus

z) Smellie Hebammenkunſt. P. I. p. 150.

ejus debilitas, paralyſis, quin ipſa denum diſruptio *a*). Tanta ſæpe ſit veſicæ dilatatio & magnitudo, ut 8 pintas molem 36 librarum cepiſſe viſa ſit *b*), & ad ſcrobiculum cordis usque porrecta, hydropem manifeſta aquarum fluctuatione mentiatur *c*) vidit eadem quoque in viro magnitudine Ill. Frankius *d*) cujus propria verba hic ſubnectere fas erit: „in errore, „inquit, ſic ductus ſum, ut pro hydro„pe cyſtico haberem 3plicem in pres„byteri abdomine tumorem, cum „poſt mortem veſica urinaria præter „naturam conſtituta, inque duos om„nino ſaccos diverſos extenſa ſiſte„retur lotio repleta". Quod cum in viro contingeret, in gravidis utero in veſi-

a) Des berühmten Richters chirurg. Bibl. 1. B. 4. St. p. 47. 50. — Bemerk. der Aerzte in London. P. IV. Art. 37. — Parſon von der Harnblaſe. p. 183. — Van Doevern obſ. acad. C. VI.

b) Halleri notat. ad prælect. Boerh. §. 688. Not. 1.

c) Smellie Hebammenkunſt. P. II. p. 129.

d) Oratio academica de ſignis morborum ex corporis ſitu partiumque poſitione petendis, Paviæ 1788.

veſicam multifariam premente fieri certum eſt.

§. XL.

Sunt, qui veſicam a preſſione uteri retroflexi inflammatam invenerunt, quod malum eo memorabilius certe, ſubſecuta demum ſuppuratione, quæ non eroſiones tantum chronicas; verum & tunicæ interioris veſicæ urinariæ ſeparationem cum vehementiſſimis doloribus poſtea in excretione urinæ intulit e).

§. XLI.

Omnia, quæ §§. XXXVI. XXXIX. XL. fieri poſſunt, in eo conſiſtunt, ut ægra lecto ſe tradat, ac decumbat; ſic enim veſica liberatur a pondere; hoc vero non juvante, catheter veſicæ immitendus. Nonnunquam, cum a capite fœtus pubi incumbente incontinentia urinæ proveniat, nec decubitus ſupinus, neque catheter, cui a mole capitis aditus præcluditur, feliciore cum ſuc-

e) Koch de adfectu in libris & praxi rariſſ. Vol. IV. Hall. pract.— Ruyschius adverſar. anatom. Dec. II. IX. Fig. 1. Tab. II.

ſucceſſu adhibentur, & damnoſe diureticis, epitematibus, linimentis &c. tempus & opera teritur; ſed caput debita enchyreſi removeatur oportet, quo urina mox profluente ceſſabit malum. Inflammata veſica venæ ſectio, medicamenta antiphlogiſtica, clyſteres, nec non fomenta emollientia pubi applicanda conducunt. Non raro quoque, antequam in ſuppurationem inflammatio eſt redacta, veſicantia parti affectæ ſuperimpoſita preſtantiſſimos edere effectus, experientia conſtat.

§. LXII.

Inter affectus ſolidorum matris a graviditate oriundos peſſimam pariter uteri atoniam collocamus, quod malum a nimia diſtenſione uteri natum tanto gravius eſt, quanto magis poſtea in partu vita periclitantur gravidæ; ita quidem, ut, quin medici obſtetricantes experientiſſimi auxilio remediisque juvare valeant, matres miſerrimæ ſubitæ atque improviſæ jam morti ſuccumbant. Æque damnóſa, maximeque lethalis eſt uteri disruptio, quando fœtus ob quæcunque demum impedimenta, in confor-

f ma-

matione pelvis, oris uterini, vaginæ invenienda, aut ob uteri ſubſtantiam vitiatam atque fœtus ſitum ſegmentem imprimis inferius *f)* disrumpit, & in abdominis cavum intrat.

§. LXIII.

Nonnunquam ab utero gravido omentum adeo verſus ſuperiora comprimitur, & in ſeſe ipſo convolvitur, atque complicatur, ut infarctus tumorisque ſpeciem præ ſe ferat, quam pro hepatis aut lienis obſtructione ne habeamus, cavendum eſt. Vidit plures tales tumores ill. RUYSCHIUS *g)* quorum nonnulli transverſim poſiti erant, alii ſitum obliquum obtinebant, quos mulieres per plures poſt partum annos absque ullo dolore geſtarunt. Haud diſſimiles fiunt effectus, quando ab utero turgido inteſtina urgentur. Unde difficilior excrementorum tranſitus per inteſtina craſſa, atque ingeſtorum in tenuibus accumulatio, qua

f) Plenk. Anfangsgründe der Geburtshülfe. Wien 1781. pag. 243.

g) Obſerv. anatom. chirurg. Cent. obſ. 63. pag. 59.

qua bilis exitus in duodenum admodum aggravatur, & toties leves icteri in prægnantibus obſervantur, non niſi partu obſolvendo radicaliter ſanandi.

§. XLIV.

Majoris momenti eſt vomitus, ultimo geſtationis tempore prægnantes infeſtans, & ab utero in ventriculum premente, quo ejus digeſtio impeditur, oriundus, qui fruſtra remediis ſanandus; verum ſoli naturæ committendus eſt, donec finito partu & ille abſolvatur. Admonuit eum jam HIPPOCRATES *h*) dum inquit: „unicum ſolamen „eſt, ſi parum ſimul comedant, & „bibant; ſed frequenter, ut ſic nutri„antur absque eo, quod ventriculus „diſtendatur“.

§. XLV.

Varices, quamvis ubique in corpore, quo venæ latent *i*) in utroque ſexu

h) Sect. V. Aphorism. 12. chart. Tom. IX. pag. 132.

i) VALSALVA in tractatu de aure humano. pag. 39. Obſervavit varicem a vena maſtoi-

ſexu & omni tempore *k*) ſubnasci poſſunt: tamen ob preſſionem uteri in vaſa ſanguinem ad cor retrovehentia eos non raro externe in pudendis, eorumque labiis, umbilico, ventre, recto inteſtino, & extremitatibus inferioribus gravidarum *l*) obvenire, ſatis notum eſt; rariores ſunt varices uteri, è genitalibus prominentes, qualem magnitudine enormi vidiſſe teſtatur ill. Celsus *. Cauſæ præter quamcun-

---

maſtoidea ortam. — Aetius varices in palpebris obſervavit. In ejus Synopſ. medic. ill. Silberling varices in pudendis, eorumque labiis vidit. Tetr. II. Serm. II. — Anfangsgründe der Entbindungskunſt. Straßburg 1779. 8. p. 69.— item cel. Plenkius eos magnitud. fructus hippocaſt. Vidit deſſen Anfangsgründe der Geburtshülfe. p. 49.

k) Marcellus de medicina C. 34. docuit in pueris quoque eos obſervare.

l) Notatu digniſſ. eſt Fabric. Hildani obſerv. (ejus chirurg. Obſ. 85. Cent. IV.) de varice in tibia craſſitie brachium ad carpum adæquante, & ſpithamam fere longo.

* Gruners kritiſche Nachrichten von kleinen medizinischen Schriften. 2. Theil.— Diſſ. de gravidarum varicibus, præſid. Gottlob Haase &c. pag. 252.

-cunque preſſionem in vaſa ſunt de-
tlivior venarum ſitus, femorum tibia-
rumque exemplo, ipſa valvularum
ſtructura non pelliculæ analoga; ſed
ex innumeris filamentis tendineis,
columellisque fibrilloſis valvularum
cordis adinſtar natura ſactæ: dein ſan-
guis viscidus & craſſus. Quare eos
quoque feminæ, quæ vitam alimentis
nimium craſſis & viscidis degunt, præ
aliis ſubeunt.

§. XLVI.

Minoris momenti ſunt varices, preſſione evanescentes, & indolentes; mali contra ominis, qui tenſivo, urente, nec non dolore pungente concomitantur. Periculoſi, qui inteſtinum rectum occupant, ſymptomatibus ſatis gravibus conjuncti, aut disrumpunt, ulcus demum ſanatu difficile formant *m*). Ut opem ſexui hoc caſu ſequiori afferamus, juſta imprimis vitæ ratio ſervetur oportet, eccoprotica, ſolventia, interdum v. ſ. propinentur, tumores venoſi faſciis vino rubro, ſp. vini, vel aceto cum alumi-

m) Grunerś kritiſche Nachrichten loc. cit.

alumine madidis involvantur *n*), aut laminæ plumbeæ, quarum refrigerandi virtus præter comprimendi vim non parvi habetur, iis ſuperimponantur. Grandioribus braccas quoque apte formatas multum conducere ill. Thedenii obſervata teſtantur *o*), qui, varice circa genu gravidæ aperto, plures nodos varicoſos ovorum gallinaceorum magnitudine in pede ſedentes admotis digitis ab inferioribus verſus ſuperiora obliteravit, ſpleniis ſubinde impoſitis pedes & femora faſciis involuit, braccisque arcte adhærentibus optimo cum ſucceſſu uti juſſit. Inveterati, qui remediis congruis nequaquam cedunt, dolent, & adeo quidem tument, ut rupturam minitentur; inciſionem per ſcalpellum ad longitudinem poſtulant. emiſſo tunc ſanguine congrumato lintea carpta cum bolo armena vel alio quovis pulvere, humidum ingurgitante, ſuperimponuntur, & vulnus contecta demum plaga, faſciaque commoda ſanatur.

---

n) Præſtantiſſimos effectus a fomentationibus e ſale armon. ſolut. Vidit ill. Grunerus.

o) Richters chirurg. Bibl. 3. B. 3. St. p. 133.

§. XLVII.

Pari ratione ſub finem graviditatis varii generis hydropes obtinent, quorum tumores artuum inferiorum, nec noc labiorum uterinorum hydropici maxime ſunt familiares. Siquidem enim vaſa lymphatica, aut uteri mole, aut nimia venarum iliacarum diſtenſione premuntur, atque impediuntur, quo minus lympha ubique in tela cell. effuſa reſorberi queat, ea ut in receptaculis ſuis celluloſis colligatur, atque accumulando tumores ſenſim, ſenſimque enormes reddat, neceſſe eſt. Apparet proin oedema pedum in graviditate nil mali ominis præ ſe ferre, peractoque partu utpote cauſa ſublata brevi evanescere, imprimis, cum optimæ naturæ medicatrici lympham ſubviscidam attenuando ſcopo frictionibus ſuccurramus, faſciis partem affectam involvamus, & medicamentis denique roborantibus utamur externis. Pariter tumores hydropicos labia pudendorum obſidentes ſcarificatione aut veſicantibus, quibus optato cum effectu uſi ſunt ill. viri *p)* facile ſanandos eſſe

---

p) Levret l'art des accouchements. p. 202. Selle medic. clinica. pag. 294.

conſtat. Graviores vero, quin lethales evadunt, quando tumor inflammatorius cum febre occupet labia vulvæ, hujus interiora ſimul inflammata ſunt, & fœtus moles partes in partu premit *q*).

§. XLVIII.

Damnoſus profecto hydrops ovarii in graviditate eſſet, ab ea vel alia quacunque cauſa oriundus, inſanabilis, & a magnis viris difficulter dignoſcendus *r*), qui tumor præter hæmorrhagiam uteri innumera alia mala procreare, tandem matri & fœtui vitam auferre valeret. Æque graves affectus ascitidem, pectoris hydropem in gravidis eſſe, funeſti non raro partus ſatis teſtantur.

§. XLIX.

q) Cel. VAN SWIETEN Comm. in Herm. Bœrhaavii aphor. §. 1301. pag. 117.

r) Stark's Archiv für die Geburtshülfe, Frauenzimmer und neugebohrner Kinder-Krankheiten. 1. Stück, mit Kupfern. — Kalliſen von einer Waſſerſucht des Eierſtocks in Richters chirurg. Bibl. 4. Band, pag. 226.

§. XLXIX.

Cum de ſolidis partibus in matre, prout a graviditate vitiari poſſunt, hucusque agendum erat: non abſimile videtur, in ſine tractatus morboſam oſſium pelvin conſtituentium conditionem brevi reducere. Veroſimile eſt, oſſa pelvis in graviditate & ſub partu dilatari, quæ tam veteribus quam recentioribus: Hippocrati-Avicennæ, Fernelio, Hildano, Harvæo, Morgagno, Hallero, Smellio &c. ſuit ſententia. Quoniam enim hoc tempore omnes ſolidæ partes molles ob continuum ſanguinis affluxum adauctum & impeditum in pelvi refluxum parantur, quo dilatari & extendi queant: minime rationem ſufficientem videmus, quare hæc mutatio ligamentis & cartilaginibus rigidioribus oſſa pelvis nectentibus pariter non contingat, manente imprimis eadem cauſa, ſeu fœtu, qui cum uteri mole continuo in partes genitales urget, tanto plus, quanto acutior juxta legem mechanicam cuneus eſt, & quo magis ejus latitudo in longitudine continetur, ſeu ſi mavis, quanto profundius uteri moles pelvis cavum

ſubit. Præter partes molles ſubinde cum ligamenta tum cartilagines debilitari, extendi, & pelvis cavum quodammodo ampliari videntur; ita quidem, ut integra pelvis oſſium diſceſſio fuerit obſervata *s*), quæ vero, dum ſtatum a ſano alienum ponit, omnino morbo debetur, & poſt partum quieto alias in lecto regimine, faſciisque parti affectæ manu dexteriori circumducendis, firmandisque maxime ſanatur.

Sufficiat pro brevitate & ſpatio, quo præſcriptis academicis diſſertatiunculam quandam conſcribendi ſatisfacere ſtudui, & quo has minoris momenti abſolvi paginas, multiplices graviditatis effectus morboſos perveſtigaſſe. Lubenter, me nil novi dediſſe, fateor; neque omnes, qui ſunt graviditatis affectus, in medium protuliſſe; ſed tantum, qui a graviditate ut cauſa oriuntur, graviſſimos. Ceterum indulgeat Lector juveni, in ſcribendo nondum exercitato, neque a

s) Des berühmten Richters chirurg. Bibl. 1. B. 1. St. pag. 1.. 1.. — Des 4. B. 3. St. p. 571.

tirone poſcat, quæ a magiſtro artis ſuæ peritiſſimo expectare licet.

THESES.

I. Oſſa pelvis in graviditate nec non partu dilatari videntur.

II. In hæmorrhagiis uterinis opium caute eſt adhibendum.

III. Muſculorum irritabilitas maxime a vi nervea dependet.

IV. Sunt fibræ muſculares in utero.

V. Morbi natura iidem, eamdem agnoſcunt cauſam, eamdemque poſtulant medendi methodum.

VI. Contagiorum vis, qua ſuam quodque ſpeciem multiplicat, non in quibusvis eadem agit ratione.

VII. Naphtha nitri optime paratur methodo crelliana præceptoris olim mei ſumma venerandi.

VIII. Tincturæ antimonii acris præparatio duce D. Dehnio omnibus ejusmodi palmam præripit.

IX. Nitrum purum, quale in officinis pharmaceuticis proſtat, magnam partem ſalis digeſtivi ſylvii, non culinaris continere, experimentis ill. Jacquinii conſtat.

X. Aerem dephlogiſticatum magno modo ex nitro & lapide obtinemus.

TIGHT

GUTTERS.